Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars III.
Wien, 1794 Seite 3101
Quelle:
Copyright:

Antiphonas et *Sacrum de B. V.* complexi occupant. In *Sacro* Hymnus angelicus *Gloria in excelsis* &c. ita in laudem Deiparae interpolatus est, ut exhibet *Card. Joh. Bona Rer. Liturg.* L. II. C. 4. n. 6.

DCCCLXVII.

337 Codex membraneus lat. Sec. XV. Folior. 36. f. luculente exaratus *Liturgicus* est continens: I. *Matutinum et laudes pro Defunctis*, ubi *Lectio* IX. non e L. *Job*, ut hodie, sumta est, sed e I. *ad Corinth.* C. 15. *Sicut portauimus ymaginem terreni* &c. II. *Missam pro Defunctis*, in qua *sub eleuatione* cantatur *ymnus* qui incipit:

Oramus domine conditor inclite
Deuotos famulos respice protege
Ne nos liuor edax demonis obruat
Demergat uel in inferos &c.

III. *Missam de Venerabili Sacramento.* IV. *Exequias mortuorum que fiunt finita missa ad sepeliendum funus.* Omnia haec modulis Musicis adstricta.

DCCCLXVIII.

338 Codex membraneus lat. Sec. XV. Folior. 38. f. eodem modo, ut superior, exaratus eadem quoque continet. Accedunt tamen in fine *Inicia quatuor ewangelistarum*, hoc ordine: *Jobannis. Statio ad orientem. Lucae. Statio ad meridiem. Matthaei. Statio ad occidentem. Marci. Statio ad aquilonem.* Atque haec Anno 1506. adscripta sunt.

DCCCLXIX.

665 Codex chartaceus lat. Sec. XVI. Folior. 36. 4. ita in Fronte inscriptus est: *Hystorie Patronorum terre Bohemie. 1. De viduis. 2. De Sancta Ludmilla. 3. De eius translacione. 4. De Sancto Adalberto episcopo et martire. 5. De Sancto Sigismundo Rege et martire. 6. De Quinque fratribus martiribus. 7. De Sancto Wenczeslao martire. 8. De eius translatione. 9. De Sancto Procopio confessore. 10. De Sanctis Cirillo et Methudio confessoribus. 11. De Sancto Stanislao martire et episcopo. De Sancta Hedwige Oratio cum Historia. De Sancto Longino Martire.* His subditur: *Scripte per fratrem Matheum Lectorem Theologie Sacre prage Anno 1522. existente scilicet ludobico rege prage et sua Regina Maria* (Maximiliani I. Imp. Nepte) *perinclita. Que illo anno coronata fuit dominica post ascensionis domini, Me vero* (quod aeque notandum) *laborante podagra grauiter. Laus deo.* Item: *Pro Valete ab eodem Lectore patri Reverendo priori donato brencz eiusdem ordinis in praga dimissus*, videli-